



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

SANCTI|| IOANNIS|| DAMASCENI OPERA,||

Johannes <Damascenus>

Parisiis, 1577

De fraterno odio. cap. xcii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71880](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71880)

A Contristatusque est Samuel, & clamauit ad Dominum tota nocte. Et non vidit Samuel ultra Saulē vsque ad diem mortis suae. Verumptamen lugebat Samuel Saulē, quoniam Dominū pœnitebat, quod constituisset eum regem super Israël. *Ibid.*

Operti sunt faccis homines & iumenta: & clamauerunt ad Dominum in fortitudine: & conuersus est vir à via sua mala, & ab iniquitate quæ erat in manibus eius. Et dicebant, Quis scit si conuertatur, & ignoscat Deus, & reuertatur à furore iræ suæ, & non pereamus? Et vidit Deus opera eorum, quia conuersi sunt de via sua mala: & misertus est Deus super malitia, quam locutus fuerat vt faceret eis, & non fecit. *Iona. 3.*

B Repentē loquar aduersum Gentem, & aduersus regnum, vt eradicem & destruam & disperdam illud. Si pœnitentiam egerit Gens illa à malo suo, quod locutus sum aduersus eam: agam & ego pœnitentiam super malo, quod cogitavi vt facerem ei. Et subito loquar de Gēte, & de regno, vt ædificem & plantem illud. Si fecerit malum in oculis meis, vt non audiat vocem meam: pœnitentiam agam super bono quod locutus sum vt facerem ei. *Hier. 18.*

De fraterno odio. CAP. XCII.



VIDENTES fratres Ioseph, quod à patre plus cunctis filiis amaretur, oderant eum, nec poterant ei quicquam pacificè loqui. Et mutuo loquebantur, Ecce somniator venit: venite occidam eum, & mittamus in cisternā veterem: dicemusque, Fera pessima deuorauit eum. Et tunc apparebit, quid illi profint somnia sua. *Gen. 37.*

A bimelech conduxit sibi viros inopes & vagos, secuti que sunt eum. Et venit in domum patris sui in Ephra, & occidit fratres suos filios Ierobaal septuaginta viros super lapidem vnum: remansitque Ioathan filius Ierobaal minimus, & absconditus est. *Iud. 9.*

D Fuit illo tempore Iephthe Galaadites, vir fortissimus atque pugnator, filius mulieris meretricis, qui natus est de Galaad. Habuit autem Galaad vxorem, de qua suscepit filios: qui postquam creuerant, eiecerunt Iephthe, dicentes, Hares in domo patris nostri esse non poteris, quia de altera matre natus es. Quos ille fugiens atque deuitans, habitauit in terra Tob. Congregatique sunt ad eum viri inopes, & latrocinantes, & quasi principem sequebantur. *Iud. 11.*

Nunquid non pater vnus est omnium nostrum? Nunquid non Deus vnus creauit nos? Quare ergo despicit vnusquisque vestrum fratrem suum? Omnis qui fratrem pauperem odit, procul ab amicitia est. *Mat. 23.*

E Erat filius senior in agro. & cum veniret, & appropinquaret domui, audiuit symphoniam, & chorum: & vocauit vnum de seruis, & interrogauit quid hæc essent. Isque dixit illi, Frater tuus venit, & occidit pater tuus vitulum faginatam, quia saluum eum recepit. Indignatus est autem, & volebat intrare. Pater ergo illius egressus, coepit rogare illum. At ille respondens, dixit patri suo, Ecce tot annis seruo tibi, & nunquam mādātum tuum præterui: & nunquam dedisti mihi hœdum, vt cum amicis meis epularer. Sed postquam venit filius tuus hic, qui deuorauit substantiam suam cum meretricibus, occidisti illi vitulum faginatam. At ipse dixit illi: Fili, tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt. Epulari autem, & gaudere oportebat, quia frater tuus hic mortuus erat, & reuixit: perierat, & inuentus est. *Luc. 15.*

Si quis dixerit, Quia diligo Deum, & fratrem suum odit, mendax est. Qui enim non diligit fratrem suum, quem videt, Deum, quem non videt, quomodo diligere potest? Omnis qui odit fratrem suum, homicida est. *1. Io. 3.*